Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



uenientes. & quomodo loth. & qui apparatus hospitalitatis utrisq;
sit comparemus. Primo tamen obserua. quod ad abraham cum duobus
angelis etiam dominus affuit. ad loth uero duo tantummodo angeli perguntur.
Et quid dicunt. Misit nos dominus conterere ciuitatem & perdere
eam. Ille ergo suscepit eos qui perditum darent. non suscepit eum qui
saluaret. abraham uero suscepit & eum qui saluat & eos qui per-
dunt. Nunc uideamus quomodo unusquisq; suscipiat. Vidit in-
quit abraham. & occurrit eis in obuiam. Considera protinus im-
pigrum & alacrem in officiis abraham. Ipse currit in obuiam. &
cum occurrisset refestinat inquit ad tabernaculum. & dicit
ad uxorem suam. festina ad tabernaculum. Vide in singulis
quanta sit suscipientis alacritas. festinatur in omnibus. omnia
purgentur nichil potium geritur. Dicit ergo ad uxorem suam saram.
festina ad tabernaculum. & consparge tres mensuras simila-
ginis. & fac subcinericios. Hoc grece engrisyas dicitur. quod oc-
cultos uel absconditos indicat panes. Ipse autem cucurrit in-
quit ad boues. & accepit uitulum. Et quale uitulum. Forte qui
primus potuit occurrere. Non ita est. sed uitulum bonum & tene-
rum. & licet cuncta festinat. scit tamen que precipua & magna
sunt domino uel angelis offerenda. Accepit ergo uel elegit de gre-
ge uitulum bonum & tenerum. & tradidit puero. Puer in-
quit festinauit facere eum. Ipse currit uxor festinat. puer
accelerat. Nullus piger est in domo sapientis. Apponit ergo ui-
tulum. & simul cum eo panes & simila. sed & lac & butyrum.
Hec sunt abrahe & sare hospitalitatis officia. Nunc uideamus
quid etiam loth. Hic neq; simila habet. neq; panem mundum.
sed farinam. neq; tres mensuras simile nouit. neq; engrisyas
idem absconditos ac mysticos panes. apponere uenientibus potest.
Sed persequamur nunc interim. quid agit abraham cum tribus
uiris qui astiterunt super eum. Hoc ipsum uide quale sit quod
super eum ueniunt non contra eum. subiecerat se quippe uo-

167